



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XIV. Confirmatio nonnullorum Decretorum Capituli Generalis
Congregationis Cassinen. Ordinis S. Benedicti, de conditionibus circa
electionem, & administrationem officii Procuratoris Generalis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò responderit contrahere volentes esse Cives :

8. Interrogetur sub qua Parochia hætenus contrahere volentes habitaverunt, vel habitent de præfenti.

Item an ipse Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel Maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata; vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum; vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium.

Si verò Testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra :

9. Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, vel aliud impedimentum &c. & quod ipse Testis nesciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur, nisi ex aliis Testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c.

Si verò responderit negativè :

10. Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos :

11. Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis sciat fuisse Conjuges, & nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis, in quo prædicti prædecesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, à Duce illius Cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodò sint legitimæ, & sufficientes.

12. Interrogetur, an post mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transferat ad secunda vota.

Si responderit negativè :

13. Interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transferat ad secunda vota, absque eo quod ipse Testis sciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur in licentia donec producantur Testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si verò negativè.

14. Interrogetur de causa scientiæ, qua perpen-
sa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. Multi, sess. 24.

Fides, aliæque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, & sigillum, & attentè consideretur quod fides, seu testimonia bene, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quàm extranei; quia præsumun-

tur melius informati, & Cives magis, quàm Exteri: nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; Et Notarius exactè describat personam Testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *mibi bene cognitus*: sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona Testis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe ultra Notarium, Officialis specialiter deputatus ab Eminentissimo Vicario: & extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda: aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacre Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diocæsihus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, &c.

Contravenientes autem severe punientur.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo. Indictione octava, die verò 30. mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ Decimi; Anno Primo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatii S. Officii ejusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium, ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Curæ.

Confirmatio nonnullorum Decretorum Capituli Generalis Congregationis Cassinens. Ordinis S. Benedicti, de conditionibus circa electionem, & administrationem officii Procuratoris Generalis observandis.

Ne pluries dicta otiose repetam te remitto ad ea, quæ notavi ad Urb. VIII. Const. 233. Nuper. Tom. V. fol. 311.

C L E M E N S P A P A X.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncti nobis divinitus pastoralis officii debito illa, quæ à Congregationibus Religiosorum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi vitæ monasticæ Jugo mancipatorum pro felici earum regimine, & gubernio providè facta esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolabilia persistant, libenter cum id à nobis petitur, Apostolici muniminis nostri Præsidio roboramus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis super fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Cassinens. Ordinis S. Benedicti, quod in Capitulo Generali, d. Congregationis mense Maio proxime præterito Mantuæ celebrato, edita, & facta fuerunt nonnulla Decreta, & ordinationes, seu conditiones, tenoris qui sequitur videlicet: Primò. Cùm à Patribus Capituli Generalis celebrati in Monasterio S. Benedicti de Mantua unanimi consensu sancitum sit, ut ad evitandas expensas, ac itinerum incommoda, Capitulum Generale, quod à Constitutionibus nostris singulis annis celebrandum mandatur, imposterum altero quoque anno ad mentem fœl. record. Alexandri PP. VII. cogi debeat: Idcirco quo præfato Patrum Decreto majus robur accedat, Patri Procuratori Generali injungimus, ut cum primum Romam accesserit à S. D. N. ejusdem decreti confirmationem

per

XIV.

Edita An. D.
1670.

Proccinium.

Decretum
Capituli Ge-
neralis.

De Procuro-
re Genera-
li eligendo.

Conditiones
circa electio-
nem, & ad-
ministratio-
nem officii
Proc. Gen.

per Breve speciale impetrare solerter studeat.

§. 2. Secundò. Et quoniam Eminentissimus Cardinalis Protector prævio Sanctissimi D. N. Beneplicito facultatem Patribus Capituli Generalis concessit, ut pro suo arbitrio idem Capitulum pro hac vice tantum ad Procuratoris Generalis munus, unum ex Abbatibus Regiminis eligere possit: cognoscentes Patres summopere Congregationi expedire, ut hoc ipsum in perpetuum (sub certis tamen conditionibus, ac limitationibus inferius exprimendis) inviolatè executioni demandetur; Omnes unanimiter decreverunt, quod in futurum ad prædictum Procuratoris generalis officium non nisi unus ex Abbatibus Regiminis, (prout ab aliis novem Congregationibus Monasticis servatur) assumi possit. Propterea prædicto Patri Procuratori Generali mandamus, ut hujusce Decreti confirmationem per Breve speciale à Sanctiss. D. N. studeat impetrare.

§. 3. Conditiones servandæ circa electionem, & administrationem officii Procuratoris Generalis, si Sanctissimo D. N. placuerit, quod Procurator Generalis ex Abbatibus de Regimine eligatur. Primò: Procurator Generalis sit alius Abbas ab Abbate S. Pauli de Urbe, inter quos servandam mandamus Provinciarum alternativam proindè ac ad prædictum Procuratoris Generalis officium unus ex Prioribus claustralibus promoveretur. Secundò: Idem Procurator in quolibet generali Capitulo secretis Patrum calculis exponi debeat, ac per secreta Abbatum suffragia confirmari, prout in Constitutionibus. Tertio: Ad officium Procuratoris Generalis nullus assumatur, qui per integrum biennium Abbas de Regimine non fuerit: Et quousque in officio Procuratoris Generalis permanferit, eligi non possit in Diffinitorem, nec in Visitatorem, nec ullo modo ad Dietam celebrandam admitti valeat. Quarto: Eligatur dictus Procurator per secreta omnium Abbatum, qui Generali Capitulo intererunt suffragia, eo profuso modo, eaque forma, quibus Diffinitores eliguntur; itaut quilibet Abbas prædicti officii capax sigillatim totius Capituli scrutinio subjaceat. Quinto: Procurator in eo Capitulo Generali, in quo Procuratoris officium expleverit, aut ab eo se abdicaverit, vel quoquo modo absolutus fuerit, ad Diffinitoris, atque Visitatoris munus assumi non possit, neque eligi in Abbatem sive Administratorem Sancti Pauli de Urbe. Quemadmodum firmiter statuimus, quod Abbas S. Pauli immediatè postquam prædictæ Abbatæ Regimen reliquerit, nullo pacto in Procuratorem Generalem eligi possit. Sextò: Durante Procuratoris Generalis officio ipse Procurator nullam Abbatiam de Regimine administret, sed Titulari tantum Abbatia sit insignitus. Septimò: Præfides Generalis, & Procurator in Curia non possint esse unus, & ejusdem Monasterii Professi, nec duo Abbates ejusdem Monasterii Professi possint immediatè unus post alium ad Procuratoris officium promoveri. Octavò: Quanto tempore, quis Procuratoris officio functus fuerit, tanto etiam ab ipso cessare debeat, ut iterum ad idem munus assumi possit. Nonò: Sive ob mortem, sive ob alias causas quis ab officio Generalis Procuratoris vacaverit, aut amotus fuerit, ejus vices exequatur Abbas S. Pauli usque ad proximum Capitulum Generale: Inviolato tamen perseverante statuto, quod Abbas S. Pauli de Urbe ad Procuratoris officium eligi nequeat. Decimò: Procurator Generalis more solito Juramentum in manibus Diffinitorum præstet, quod nullas dispensationes ad gradus, dignitates, officia, aliaque nostris Constitutionibus repugnantia, tam pro se, quam pro aliis quibuscumque nostris Religiosis cujuscumque conditionis fuerint, impetrabit, aut impetrare, sive obtinere tentabit: Quod si contigerit ad prædictum Procuratoris officium eligi Abbatem à Capi-

tulo Generali absentem, hoc ipsum Juramentum cum primum Romam pervenerit infra octo dierum terminum in manibus Abbatis Sancti Pauli præstare, & de hujus Decreti executione P. Præfidem certiore facere teneatur. Undecimò: Bis in anno Procurator Generalis rationem dati, & accepti Abbatibus Sancti Pauli de Urbe, ac S. Mariæ de Farfa, & computa in scriptis reddere, & exhibere teneatur cum assistentia unius Computatoris à Diffinitorio designandi. Quod si hoc exequi neglexerit graviter in ipsum à Capitulo Generali, vel Dieta animadvertendum esse mandamus. Duodecimò: Cum Patres Visitatores Monasterium S. Pauli de Urbe visitabunt, Procurator Generalis annua computa, ac dati, acceptique rationes ad procuratoriam generalem pertinentes ipsis Visitatoribus reddere teneatur; Libros verò, in quibus prædicta computa continentur ad Capitulum Generale deferat quo à Diffinitoribus diligenter examinari valeant. Decimotertio: Capla Procuratoria penes computatorem minimè sit, sed penes alium à Diffinitoribus designandum. Decimoquarto: Computator Congregationis nullam audeat pecuniæ summam expendere, aut Creditoribus exolvere sine mandato in scriptis P. Procuratoris Gen. manu signato. Decimoquinto: Quotiescumque contigerit, aliquam reductionem ad minus interusurium, sive æris alieni extinctionem fieri; Computator Congregationis pro tempore existens, talis reductionis, sive extinctionis Instrumentum infra mensem ad Monasterium, ad cujus beneficium fuerit facta reductio, vel extinctio transmitti teneatur pœna depositionis, & inhabilitatis ad omnes gradus, si secus exegerit puniendus. Decimosexto: In computatorem Congregationis nemo imposterum eligatur, qui Decania de Regimine actu non sit insignitus. Horum omnium, & singulorum, ut supra Constitutionem Procuratoris Generalis per Breve speciale nomine totius Congregationis à Sanctissimo D. N. impetrare curet, in quo Brevis declaratur nulla, & invalida electio Procuratoris Generalis, in qua hæc omnia, & singula servata minimè fuerint. Volumus tandem, quod præfens Procurator Generalis juramentum in manibus Diffinitorum præstet, quod quantum sua interest prædictum Breve à Sanctiss. Domino nostro omni meliori via, & forma obtinere solerter studebit.

§. 4. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Procurator Generalis præmissa quo firmiter subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiti plurimum desideret: Nos specialem ipsi Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia, & singula præinserta decreta, & ordinationes, seu conditiones auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

§. 5. Decernentes præinserta Decreta, ac ordinationes, seu conditiones, ac easdem præsentibus literas semper firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Casuarum

Confirmat
prout in rub.

Decretum
irritans.

Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-
ranter contigerit attentari.

Contrariis
derogat.

§. 6. Non obstan. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit di-
ctæ Congregationis aliisve quibusvis etiam jura-
mento, confirmatione Apostolica; vel quavis fir-
mitate alia roboratis, statutis, & consuetudini-
bus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apo-
stolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæ-
terisque contrariis quibuscumque.

Transumpto-
rum fides.

§. 7. Volumus autem, ut earundem præsen-
tium litterarum transumptis, etiam impressis, ma-
nu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo
personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ mun-
nitis, eadem prorsus fides adhibeatur in judicio,
& extra, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si fo-
rent exhibitæ, vel ostensæ.

D.P.A.1. die
22. Aug.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
Annulo Piscatoris die 22. Aug. 1670. Pontifica-
tus Nostri Anno primo.

XV.

Privilegia, Indulta, Gratia, & Exemptiones non-
nullis Sanctitatis Suxæ familiaribus concessæ.

*Similia Privilegia concessit Clemens IX. Constit. 21.
Venerabilibus.*

CLEMENS PAPA X.

Nomina Fa-
miliarium.

Venerabilibus fratribus Stephano Ugolino
Constantinopolitano, Federico Borromæo Ale-
xandrin. Secretario Status, Jacobo Altoviro An-
tiocheno, & Camillo Maximo Hierosolymitan.
Patriarchis, cubiculi nostri Præfecto, ac Jacobo
de Angelis olim Urbinaten., Francisco Mariæ
Phœbæo Tarfen., Bernardino Roccio Damascen.
Palatii nostri Apostolici Præfecto, Stephano de
Augustinis Heracleæ Eleemosynario secreto, Gas-
pari Carpineo Nicæno Datario, & Nestori Ri-
tæ Sebasten. Archiepiscopis, necnon Camillo
Piazza Dragonien., Honuphrio de Hippolytis
Porphyrien., & Josepho Eufanio Helenopolitan.
Episcopis, Sacriarii nostri Præfecto, ac dilectis
filiis Magistris Francisco Mariæ Antaldo Urbina-
ten., Joanni Muto de Papazzuris Romano, Ber-
nardino Cafali Romano, Joanni Baptistæ Ru-
bino Veneto, Joanni Gualterio Susio Leodien.
Secretario Brevium nostrorum secretorum, Prof-
pero Bottinio Lucen. Auditori, & Aenæ Pio
Ferrarien., in utraque Signatura nostra Referen-
darius, Prælati Domesticis nostris, ac Josepho
Vallemanio Pincernæ, Francisco Polino, Nico-
lao Gentili Camerinen. Architrilino, Carolo
Balduccio Tusculan. Vestiario, Ascanio Paganel-
lo, Venantio Benigno, Osvaviano Cambio Ca-
merinen., Antonio Simoni Baglione Pisaren. no-
tarum arcanarum Secretario, Florido Salvatore
Civitatis Castelli, Medico secreto, Alexandro
Caracciolo Neapolitan., Dominico Pantì Pisaren.,
Pomponio Cavallio Ravennaten., Joanni Angelo
ab Altaemps Romano, Mario Taddæi Ilcien., Ma-
rio Spinulæ Januen., litterarum nostrarum in
forma Brevis ad Principes Secretario, Nicolao Pic-
colomineo Senensi, libellorum supplicum No-
bis porrectorum Secretario, Osvavio Falconerio
Florentin., Petro de Joanne Syracusan., Nicolao
Antonio Fili de Altamura, Cubiculariis secretis
nostris, ac Pompeio Roccio Romano Forerio
majori, & Theodoro Cellefio Pistorien. fratri mi-

liti magnæ Crucis Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, itidem Cubiculario secreto, Sancti de Pilaftris Casenaten. Subdatario, necnon Riccardo Cruciano-Camerinen. Caudatario, Antonio Mariæ Martorello Tusculan. Crucifero, Josepho Barbio Camerinen., & Ferdinando Gon-
salvio Auximan., Capellanis secretis nostris, Marchioni Osvavio Mariæ Lancelloto militum utrius-
que custodiæ Corporis nostri, & Angelo Maximo Romano Triremium Pontificiarum respecti-
vè Præfectorum Locumtenentibus Generalibus, Marchioni Antonio Sanctacrucio, & Francisco
de Cavaleriis Romanis, Equitum levis armaturæ custodiæ Corporis nostri Capitaneis, Fran-
cisco Ceriolo Cremonen. Magistro Domus nos-
træ, Bruoni Bellozzio Asculan., Petro Bajos
Tornacen., Evangelistæ Cæsaris Romano, Simo-
ni de Amicis Camerinen., Sebastiano Mirolino
Civitatis Castellan., & Bartholomæo de Leone
Corduben. respectivè Civitatum, vel Diocæs.
Clericis, seu Presbyteris, vel Laicis Cubiculi
nostri Auditoribus familiaribus continuis Com-
mensalibus nostris salutem, & Apostolicam Be-
nedictionem.

Procedium.

§. 1. Circumspecta Romani Pontificis gratia-
rum dispensatoris providentia devotos, & fide-
les suos, illos præsertim, qui grata familiarita-
tis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad
id aliàs propria virtutum merita commendant,
honoris, & famæ amplioribus præconiis, ac
præclaris dignitatum titulis decorare, & orna-
re, necnon specialis benevolentia favoribus am-
plecti solet, prout personarum qualitatibus con-
spicit convenire.

Pontifex hu-
pronominat-
is privilegia
sublequentia
concedit.

§. 2. Hinc est, quod Nos ad grata familiari-
tatis obsequia, quæ vos, qui etiam continui
Commensales nostri existitis, & quilibet vestrum
Nobis hæctenus impendistis, & adhuc sollicitis
studiis impendere non desistitis, necnon ad vi-
tæ, ac morum honestatem, aliaque laudabilia
probitatis, & virtutum merita, quibus personas
vestras, etiam familiaris experientia, juvari per-
cepimus, condignam rationem habentes, ac
propterea easdem personas vestras, peculiari
favore gratia, ac specialis honoris, & excellen-
tiæ dignitatis titulo sublimare volentes, vosque,
& quemlibet vestrum à quibusvis excommunicatio-
nis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesia-
sticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel
ab homine quavis occasione, vel causa latis, si
quibus quomodolibet innodati existitis, ad effe-
ctum præsentium dumtaxat consequendum harum
serie absolventes, & absolutos fore censentes,
Motu proprio, non ad vestram, vel alterius pro
vobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed
de mera liberalitate, & certa scientia nostris, ac
de Apostolicæ potestatis plenitudine, vos & quem-
libet vestrum respectivè in nostros, & Sedis Apo-
stolicæ Notarios, (sine tamen præjudicio dilecto-
rum filiorum Notariorum de numero participantium)
Apostolica auctoritate tenore præsentium
recipimus, ac Sacri Palatii, & Aula Lateranen.
Comites, necnon auratæ Militiæ Equites, ac No-
biles Romanos, & Urbis Romæ, ac Civitatum
Avenionen., Bononien., Ferrarien., & Beneventan.,
omniumque, & singularum aliarum Civitatum,
Terrarum, & locorum Romanæ Ecclesiæ media-
tè, vel immediatè subjectorum Cives cum omni-
bus juribus, jurisdictionibus, prærogativis, &
insignibus debitis, & consuetis creamus, ac con-
stituímus, ac in numerum, & consortium alio-
rum nostrorum, & ejusdem Sedis Notariorum,
necnon Palatii, & Aula hujusmodi Comitum,
Equitum, & Nobilium Romanorum, aliorum-
que Civium Civitatum, & Terrarum prædictarum
referimus, & conscribimus.

§. 3. Vobisque etiamsi habitum, & rochet-
tum Notariorum dictæ Sedis juxta decreta Late-
ranen. Concilii novissimè celebrati non deferatis,

aut